Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2773

Quelle:
Copyright:

de conditione doctoris. reſtat pars ſeptima quam habemus pre manibus difficilior et diffuſior quam alie videlicet de doctrina hominis pertinente ad predicatores ſecundum experimentum practice. Sed quoniam de dominicalibus et ſanctorum feſtiuitatibus ad pie memorie papam Alexandrum quartum ſcribentes eius imperio et precepto nos expediuimus. ideo de biis que pertinent ad diuerſa ſtatuum et officiorum genera prout dominus dederit ſubiungamus et titulo ſubnectamus. De diuerſis ſtatibus et officiis. De preceptis diuinis. de ſacramentalibus et miſterijs. de penis et gaudijs. Sequitur dein Elenchus *Statuum*, ut ait, *uel officiorum* XXXV. quorum cuivis duos ſaltem Sermones per decurſum dicat Noſter, narratiunculis pro aevi credulitate conſperſos et ad mores cognoſcendos non inopportunos. Scripti ſunt poſt an. 1261. quo *Alexander* IV. obiit, editique *Lovanii per Joh. de Weſtphalia* circa an. 1473. *Lugduni* 1511. et *Pariſiis* 1513. ut teſtatur *Foppenius* in *Bibl. Belg.* P. I. p. 386. quem una cum *Waddingo* et *Fabricio* de *Gilberto* variisque ejus Lucubrationibus adi. Nec te moveat *Oudinus* T. III. *col.* 500. *Sermones* noſtros ab eo ad *Humbertum de Romanis* O. P. transferens. Titulo deceptum fuiſſe Αυτοψια docet. Longe alii ſunt *Sermones*, ſeu breviculae potius Collationes, *Humberti ad diuerſos Status*, quorum Editio curata a *Pallante Spangelio* Prof. *Heidelberg. Hagenoae 1508. f.* mihi objacet. Sermo *Humberti* ſeu Collatio I. inſcribitur: *Ad omnes Homines*, et incipit: *Omnis homo eſt exhortandus vt caueat a malo* &c. Sermo *Gilberti* I. autem: *In electione Prelatorum*, et infit: *Elegi dauid ſeruum meum* &c. A *fol.* 171. habentur *Sermones II. In capitulo ad fratres minores*, quorum in *Elencho* praevio nulla mentio. Ordo etiam *Elenchi* in eo perverſus eſt, quod *Sermones de Sacramentis* eos, qui *de Preceptis diuinis* ſunt, praecedant. Ad calcem legitur:

Dextera ſcriptoris careat grauitate doloris.

Et rubro: *Expliciunt ſermones Gyliberti ad ſtatus.*

DCCLX.

662 Codex membraneus lat. Sec. partim XIV. partim XV. Folior. 170. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque diſtinctus complectitur ſequentia: I. *Sermones* breviculos *duos*, quorum prior inſcribitur: *Sermo dominicalis*, et exponit *Lucae* C. 7. v. 12. *Ecce defunctus efferebatur* &c. hoc initio: *Defunctus iſte ſignat animam in peccatis mortuam* &c. Alter *de ſancto vdelrico*, in illud: *Benedictio domini ſuper caput iuſti.* Sap. X. incipit: *Verba iſta poſſunt* (dici) *de beato vdalrico qui benedictionem domini promeruit* &c. Plures ejusmodi *Sermones* olim in *Codice* praeceſſiſſe, palam